



Disputatio juridica inauguralis de mandato

<https://hdl.handle.net/1874/345142>

12.

DISSERTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
MANDATO.

QUAM

PRÆSIDE SUMMO NUMINE

Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

JACOBI VALLAN,

M. D. Praxeos & Institut. Medicinæ Professoris Ordinarii,

NEC NON

Amplissimi Senatus Academicī consensu, Nobilissimaque

Facultatis JURIDICÆ Decretō,

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis
ritè ac legitimè consequendis,

Eruditorum examini subjicit,

JACOBUS COMANS, HAGA-BAT.

Ad diem 18. Maii hora locoque solis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiae
Typographi, d̄c lcc xci.

FRATRI ex AFFINITATE
mihi coniuncto, plurimum
venerando.

NEC NON

TUTORIBUS, PATRUIS,
atque AVUNCULIS,
usque ad extremum vitæ ha-
litum prosequendis, colen-
dis.

Hanc Dissertationem Inauguralem

ut & seipsum offert

JACOBUS COMANS,

AUCTOR.

DISSERTATIO JURIDICA

INAUGURALIS,

D E

MANDATO.

THEISIS I.



andati vocabulum , omissis aliis significationibus, hoc in loco denotat certam contractus speciem, describiturque , quod sit *contractus Juris Gentium l. 7. pr. C. §. 1. ff. de pact. l. 5. ff. de Just. & Jur. Bonæ fidei §. un. Inst. de obl. ex consens. 9. 28. Inst. de act. Consensu constans l. 1. ff. b. t. quoniam nihil quicquam ad sui perfectio nem præter consensum desiderat tot. tit. Inst. de obl. quæ ex cons. const. De negotio , ab alio commisso , gratis per agendo. Dico gratis : Mandatum enim , nisi sit gratuitum , nullum est , quia ex officio atque amicitia originem trahit , teste Paulo in l. 1. §. ult. ff. b. t. contrarium autem officio est merces , quâ interveniente res ad locationem & conductionem potius respicit. d. l. 1. §. ult.*

I I.

Honorarium tamen sive remuneratio intervenire potest l. 6. pr. ff. b. t. diversitatis ratio est , quia honorarium tantum datur grati animi declarandi gratiā , ita , ut nulla attendatur proportio inter illud & operas præstas ; sed si mercedis gratiā quid intervenit , ita datur ,

A 2

ut

4 DISSERTATIO JURIDICA

ut justam proportionem habeat cum operis præstitis. Salarium verò tum demum peti potest, si certum promissum sit *l. 56. §. 3. ff. eod.* non quidem actione Mandati, quia Mandatum non est mercenarium, sed actione extraordinaria apud Provinciæ Præsidem. *l. 1. C. mand.*

III.

Divisio Mandati varia est. Aliud generale, quod est ad omnia bona *l. 6. §. 6. ff. b. t. & l. 58. ff. de procur.* & quidem vel simpliciter, vel cum liberâ potestate omnia illa agendi, quæ ipse dominus probabiliter facturus es-
set. Aliud speciale, quod est certæ alicujus rei *l. 1. §. 1. ff. de procur.* Secundò aliud est expressum, quod fit litteris, verbis, nunciis, *l. 1. §. 1. ff. b. t.* Aliud tacitum, quod ex actis colligitur, ut, si quis præsens & non contradicens, patiatur alium pro se fidejubere *l. 6. §. 2. ff. eod.* Tertiò est vel purum vel in diem vel sub conditione *l. 1. §. 3. eod.* Mandatum verò in diem vel conditionale ante conditionem existentem non obligat, ut si quis mandaverit alicui, ut in diem pro se fidejubeat, isque purè fidejusserit, & solverit, interim ipsi non competit Mandati actio, sed tum demum cum dies ve-
nerit. *l. 22. pr. ff. b. t.*

IV.

Denique Mandatum interponitur vel gratiâ Mandantis; vel utriusque; vel alienâ tantum gratiâ, quando mando, ut amici mei negotia geras: aut gratiâ alienâ & mandantis, velut cum mandavi tibi, ut mihi & Titio domum emas: vel gratiâ Mandatarii & alienâ, quando mandavi tibi, ut Titio pecuniam sub usuris crederes: aut Mandatarii tantum intervenit Mandatum, quo casu magis consilium quam Mandatum est, & ob id mi-

INAUGURALIS.

id minimè obligatorium, cùm liberum illi fuerit explorare, an sibi expediat consilium *l. 2. ff. b. t.* Nisi (1.) illud fraudulentum fuerit, quia fraus continet delictum, quod non debet esse impunitum, & malum consilium consultori pessimum est: veluti cum sciret consultor debitorem, qui à me mutuam pecuniam petebat, facultatibus labi, & affirmaverit eum idoneum esse, cui creditatur pecunia, meritò actio de dolo dabitur in eum, cùm mei decipiendi gratiâ nomen falsò laudaverit. *l. 8. § 9. ff. de dol. mal.* (2.) Cùm singulari quadam persuasione & instigatione datum, sine quâ quis aliâs, quod fecit, facturus non fuisset *l. 6. §. 5. ff. b. t.* qua ratione explicandus casus in *fin. §. 6. Inst. mand.* propositus, ob verba: *non aliter.*

V.

Committere & suscipere hoc Mandatum possunt omnes illi, qui contrahendo sese obligare valent, neque specialiter ab hoc contractu excluduntur. Mulier etiam mandare potest *l. 10. §. 6. ff. b. t.* modò non intercedat *l. 7. ff. ad SC. Vellej.* potest & Mandatarius alteri rursus mandare *l. 8. §. 3. ff. eod. l. 1. §. 5. ff. de exercit. aet.* modò illud sit extrajudiciale, nec dominus hoc prohibuerit, vel negotii commissi natura singularē Mandatarii industriam requirat *arg. l. un §. 9. vers. fin verò C. de caduc. toll.* Judicialis autem procurator tum demum alium substituere potest, si in rem suam datus sit, vel lis fuerit contestata *l. 11. in fin. C. de procur.*

VI.

De deportato, quid statuendum sit, non immeritò queritur, an is mandare possit necne? Et dicendum,

A 3

quod

6 DISSERTATIO JURIDICA

quod possit (1) quia deportatus omnia retinet , quæ sunt juris gentium l. 15. ff. de interditt. & relegat. Contractus verò Mandati est juris gentium tot. tit. Inst. de obl. quæ ex consens. & § 2. Inst. de j. N. G. & C. (2) quia potest inire contractus bonæfidei d. l. 15. de interditt. & releg. (3) per l. 22. §. 5. ff. mand. in qua Paulus JCtus in hæc verba scribit : *Is , cujus bona publicata sunt , mandare alicui potest , ut ea emat : & si emerit , utilis erit Mandati actio , si non præstet fidem , quod ideo receptum est , quia publicatis bonis , quidquid postea adquiritur , non sequitur fiscum.* Quæ lex à quibusdam D. D. de relegato explicatur , sed errant , quia relegatorum bona regulariter publicari non solent l. 14. §. 1. & l. 18. ff. de interd. & releg. & si hoc fiat , speciale est d. l. 14. §. 1.

V I I.

Sequitur ut de rebus sive negotiis , super quibus Mandatum contrahitur , agamus. Sicuti autem in nullum contractum inhonesta & illicita rectè inducuntur §. 23. Inst. de inutil. stip. ita nec Mandatum rei turpis validum est l. 12. §. 11. ff. b. t. & nulla obligatio , nulla actio Mandanti vel Mandatario eo nomine competere potest : non Mandanti , quia contra jura mandavit : neque Mandatario , quia imputet sibi , quod rem illicitam , ad quam non erat obligatus , perfecerit Si verò alicui ex tali mandato , puta ex furto vel injuria nocitum sit , uterque obligatus est l. 15. §. 3. ff. de injur. & quidem ad eandem poenam arg. l. 15. ff. ad L. Corn. de sicar. nisi Mandatarius parere habuit necesse , quo casu in delictis non adeò gravibus ipsi parci solet l. 37. pr. ff. ad L. Aquil.

VIII. At,

VIII.

At, quid si quis vulnerari tantum aliquem manda-
verit, an Mandatario occidente, teneatur de occiso?
Et existimamus rectius, hoc casu utrumque tam Man-
dantem quam Mandatarium teneri, quia dum Mandans
tale quid voluit, ex quo proxime mors sequi potuit,
ipsam cædem voluisse videtur *arg. l. 15. ff. ad L. Corn.
de siccari. præsertim cum vulnera ad mensuram dari ne-
queant.*

IX.

Requiritur ergo, ut facta sive negotia, quæ mandan-
tur, sint honesta & licita, & quidem futura, non ve-
rò peracta aut præterita *l. 12. §. 14. ff. b. t.* quod tamen
ita limitandum, ut, si is, cuius negotia geruntur, illa,
quæ gesta sunt, rata habeat, & porrò mandet, tenea-
tur etiam quo ad præterita *l. 56. ff. de judic.* ubi ea,
quæ à procuratore Mandatum non habente, gesta sunt
in judicio, confirmantur per ratihabitionem domini;
quod etiam confirmat lex *12. §. ult. ff. de solut.* & *l. ult.
C. ad SC. Maced.* obstringiturque ex illa ratihabitione
actione Mandati contraria *l. 60. ff. de R. f.*

X.

Effectus Mandati est, quod contrahentes se invicem
post suscepsum Mandatum ex illo contractu obligen-
tur, unde nascitur duplex actio, directa & contraria.
Directa est actio personalis, bonæfidei, quæ datur Man-
danti adversus Mandatarium, ad id, ut Mandatum
præscripto modo exequatur, &c, si quid occasione
Mandati ad eum pervenerit, restituat, damnisque ex
dolo & culpa etiam levissima datum resarciat. Tendit
itaque hæc actio eò (1) ut Mandatarius suum Manda-
tum

8 DISSERTATIO JURIDICA

tum exequatur *I. 6. §. 1. ff. b. t.* & quidem secundum formam præscriptam *I. 5. eod.* neque enim fines Mandati exceedere debet *§. 8. Inst. b. t.* illos enim, si exceedat, neque habet actionem Mandati *d. §. 8.* neque actionem negotiorum gestorum *I. 31. §. 4. ff. de negot. gest.* (2) ut restituat, quidquid occasione Mandati adquisivit *I. 8. §. f. I. 10. §. 2. ff. b. t.* quia bonæ fidei congruit, ne de alieno lucrum sentiat, licet fortè gesserit præter Mandatum *d. I. 10. §. 8.* adeòque etiam ad cedendas actiones sibi quæfitas tenetur *I. 8. §. 5. eod.* (3) præstet damnum per dolum vel culpam ejus etiam levissimam datum *I. 13. C. b. t.* ubi exclusio casus fortuiti satis innuit inclusionem culpæ levissimæ: & per *I. 24. C. de usur.* quo pertinet illud Ciceronis in *Orat. pro Rosc. Amerino: in privatis rebus, si rem mandatam non modò malitiosius gesserit, seu questus aut commodi causa, verum etiam negligentius, is admittit summum dedecus.* Et mox: *Quid enim recipis Mandatum, si aut ad tuum commodum conversurus aut neglecturus es? Cur mihi te offers, ac meis commodis officio simulato officis & obstaras?*

X I.

Potest etiam Mandatarius convenire Mandantem actione contrariâ, quæ est personalis, bonæfidei, competens Mandatario adversus Mandantem, ad impensas, in rem Mandantis factas, restituendas, in genere, ad indemnitatem ratione Mandati conseqeudam. Datur itaque hæc actio Mandatario, qui Mandatum suscepit *I. 12. §. 7. b. t.* idque secundum modum præscriptum executus est *§. 8. Inst. b. t.* Contra Mandantem, sive expressè sive tacitè mandaverit *I. 6. §. 2. ff. b. t.* Ad im-

penas

penas &c. scilicet necessarias & utiles ex probabili ratione factas *l. 10. §. 9. l. 12. §. 9. ff. h. t.* quod procedit etiam, si dominus minus forte impensarum fecisset, si ipse negotium gessisset: Item si negotium infeliciter cesserit *l. 4. C. eod* In summa hoc agit Mandatarius, ut liberetur ab obligatione, quam contraxit, & præstet, quidquid Mandatario abest, si ob negotium, quod suscepit, aliquo damno affectus sit: nisi id casu fortuito contigerit: ut si, cum iter ficeret Mandatarius, spoliatus sit a latronibus, aut naufragio res amiserit: hoc enim damnum, cum extra mandati causam proximam accidat, magis casui, quam Mandatori imputari oportet *l. 26. §. 6. h. t.*

XII.

Contraria Mandati, sunt modi, quibus illud solvitur, & quidem (1) tam morte Mandantis quam Mandatarii *§. 10. l. h. t.* ratio est, partim quod voluntas hominis morte finiatur, cum homo mortuus velle desinat *l. 4. ff. locat. conduct.* partim, quod certæ personæ electa sit industria *l. 57. inf. h. t.* quam morte extingui, nec ad heredes transire, constat. Non aliter tamen, quam si integro mandato mors contigerit *d. s. 10. l. 27. §. 3. ff. h. t.* nam, si mandans re non amplius integra decesserit, de eo, quod antea gestum est, utrinque competit actio, quemadmodum etiam, si Mandatarius obierit *l. 26. inf. pr. l. 58. ff. h. t.* Quod si tamen mortuo domino, cum id ignoraret Mandatarius, Mandatum executus fuerit, utilem habet Mandati actionem, ne noceat ei officium suum, factique alieni probabilis ignorantia *l. 26. pr. ff. h. t.* Sic quoque, si tale sit Mandatum, quod non nisi post mortem impleri potest, in persona scilicet defuncti vel heredis, subsistit

10 DISSERTATIO JURIDICA

stit Mandatum etiam post mortem Mandantis *l. 12. §. f. l. 13. ff. b. t.*

X III.

Secundò extinguitur voluntate contrahentium, quæ à parte Mandantis revocatio, à parte Mandatarii renunciatio dicitur *§. 9. & 11. I. b. t.* Potest itaque Mandans pœnitentiâ ductus revocare Mandatum; ratio est, quia Mandatum fit plerumque causa Mandantis, quare mirum non est, si id revocare non possit; quæ tamen revocatio ita demum justa est, si fiat re integra, id est, antequam Mandatarius Mandatum ceperit exequi *l. 12. §. 16. l. 15. ff. b. t.* Neque obstat, quod alias contraictus initio voluntatis, postea necessitatis sint, *arg l. 5. C. de obl. & act.* Hoc enim verum est, ubi utrique vel alterutri jus ex contractu quæsitum est: at in Mandato, dum utrinque res adhuc integra est, neutri jus quæsitum dici potest.

X IV.

Ex persona Mandatarii quoque Mandatum solvitur renunciatione, si modò tempestivè & re adhuc integra, antequam Mandantis interesse ceperit, facta fuerit. *§. 11. I. b. t.* Et licet in Mandato id factum sit, ne Mandatarius promissum suscepimusque officium temerè deserat, sed expleat *l. 22. §. f. b. t.* attamen, si non intersit Mandantis, si que is rem æque commodè per alios expedire possit, non videtur cogendus amicus, ut invitatus gratuitum officium expeditat. *d. l. 22. §. ult. l. 27. §. 2. ff. eod.* Si verò dolosè aut intempestivè renuntiatio fiat, nihilominus actione Mandati tenetur *d. l. 22. §. ult.* Nemo enim potest mutare consilium cum alterius detrimento *l. 75. de R. J.* potest tamen justa cau-

fa

sa intercedere , vel intempestivè renunciandi , veluti si tempestate , valetudine aut bello impeditus fuerit , vel non renunciandi ; puta ob inimicitias capitales intervenientes , vel quod Mandator solvendo esse desit . l . 23 .
§ 24 . ff . h . t .

VI

COROLLARIA.

I.

Magistratus municipalis non habet mixtum imperium sed tantum simplicem jurisdictionem.

III.

Matrimonium metu contractum ipso jure non valet.

III. Bo-

II. IN AUGUSTA LISA
III.

Bonafidei possessor fructus omnes tam na-
turales, quam industrielles percipiendo
suos facit.

IV.

A Contractu perfecto invito adversario re-
cedere non licet.

F I N I S.

